

21v
CUIUS SUPRA AD EPISCOPOS ITALIAE DIRECTA DE ORDINATIONE
ARCHIEPISCOPORUM ET RELIQUORUM EPISCOPORUM ATQUE
SACERDOTUM ET DE FIDE CETERISQUE CAUSIS

Anacletus episcopus universis episcopis in Italia constitutis. 1

5 Quoniam apostolicae sedis debitam reverentiam erga me caritas vestra 2
distribuit, quia plurimum, carissimi filii, praebuistis—nam licet ecclesiae, in qua
sanctus apostolus residens docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus,
tamen profitemur nos honore et sanctitate minores esse et propterea omnino
festinamus, ut ad gloriam eius beatitudinis pervenire possimus—igitur
10 consultationibus vestris plenius responderemus, si licuisset, sed infirmitatis ac
reliquarum oppressionum onere pressi, breviter, prout dominus tribuit et, ut a
beato Petro principe apostolorum sumus instructi, a quo et presbyter sum
ordinatus, scribere vobis, sicut petistis, non denegavimus.

Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem 3
15 fuerint provincia episcopis, sunt celebrandae. Qui simul convenientes scrutinium
diligenter agant ieiuniumque cum omnibus precibus celebrent et manus cum
sanctis evangeliiis, quae praedicaturi sunt, imponentes dominica die hora tertia
orantes sacraque unctione exemplo prophetarum et regum capita eorum more
apostolorum et Moysi unguentes, quia omnis sanctificatio constat in spiritu
20 sancto, cuius virtus invisibilis sancto est chrismati permixta, et hoc ritu solemnem
celebrent ordinationem. Quod si omnes simul convenire minime poterint,
assensum tamen suis precibus praebeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint.
Porro et Hierosolimitarum primus archiepiscopus beatus Iacobus, qui Iustus
dicebatur, et secundum carnem domini nuncupatus est frater, a Petro, Iacobo et
25 Ioanne apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantes formam eorum, ut
minus quam a tribus episcopis reliquisque omnibus assensum praebentibus
nullatenus episcopus ordinetur et communi voto ordinatione celebretur. Reliqui vero
sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum
praebeant et ieiunantes ordinationem celebrent. Similiter et diaconi ordinentur.
30 Ceterorum autem graduum distributio trium veracium testium episcopi scilicet
probatione sufficere possunt.

Accusatio eorum quoque, super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis 4
et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet, quia
dominus sacri sui corporis tractatores a vilibus et reprobis ac non idoneis personis
35 infamari noluit nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes
sacerdotes a templo eiecit. Unde liquet, quod summi sacerdotes, id est episcopi, a
deo sunt iudicandi, non ab humanis aut pravae vitae hominibus lacerandi; sed
potius ab omnibus fidelibus portandi ipso domino exemplo dante, quando per
seipsum et non per alium vendentes et ementes eiecit de templo et mensas
40 nummulariorum et cathedras vendentium proprio evertit flagello et eiecit de
templo. Et sicut alibi ait: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos
discernit. Et alibi: Ego dixi: Dii estis et filii excelsi omnes. Nullus enim, ut reor,
invenitur inter nos, qui velit suum servum ab alio quam a se iudicari. Quod si
45 praesumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur aut potius ultionem
quaerit super eo. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet deus deorum
et dominus dominantium, qui ultionem suorum promisit non differre servorum?
Unde et ipse per prophetam loquitur dicens: Deus ultionum dominus, deus

22r

ultionum libere egit, et reliqua. Et apostolus inquit: Tu, quis es, qui iudicas servum alienum? Suo enim domino stabit aut cadit. Et ipse: Nolite iudicare invicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Et dominus per prophetam inquit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Nam si aliquis nunc in malum oculos alicuius principis incipit tractare, manifeste reus maiestatis iudicatur et infamis efficitur aut potius capitali sententiae subiacet.

- 5 Haec, fratres, valde cavenda sunt, et quod homines nolunt sibi fieri, deo deorum non debent inferri, ne forte irascatur dominus et faciet vindictam eorum etiam in eos, qui non peccaverunt, quia perit saepissime iustus pro impio. Imitandus est etiam propheta, per quem dominus ait: Perambulabo in simplicitatem cordis mei, in medio domus meae, non proponebam coram oculis verbum os Belial, detrahentem in abscondito sodalem suum, hunc interficiebam. Et hi cavendi sunt, e quibus Salomon ait: Sicut noxius est, qui mittit lanceas et sagittas et mortem, sic vir, qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit depraehensus, dicit: Ludens feci. Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas, verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. Et si detractores quorumque graviter iudicantur et in perditionis laqueum cadunt, multo magis laceratores et detractores atque accusatores memoratorum eius famulorum atque persecutores damnantur, et in baratrum, nisi se correxerint et per eorum satisfactionem condignam egerint poenitentiam, indubitanter vadunt et vindicibus flammis exuruntur. Quapropter oportet omnes ab his cavere et non solum non facere, sed nec facientibus consentire, quia non solum, qui faciunt, damnantur, sed qui consentiunt facientibus. De talibus et his similibus ipsa veritas ait: Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet, id est, in talibus non habitat dominus, nec ipsi manent in eo. Et Salomon loquitur dicens: Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui volvit lapidem, revertitur ad eum. Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas. Grave est saxum et onerosa arena, sed ira stulti in utroque gravior. Hominem, qui calumniatur animae, sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet, qui se iactat et dilatatur, iurgia concitat, qui sperat in domino, sanabitur, qui confidit in corde suo, stultus est, qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butirum, qui vehementer emulgitur, elicit sanguinem, et qui provocat iras et producit discordias.

ORDO ACCUSATIONIS

- 6 Haec et alia periculosa considerantes apostoli statuerunt, ne facile commoverentur aut lacerarentur vel accusarentur columnae sanctae dei ecclesiae, quae apostoli et successores eorum non immerito dicuntur. Sed si quis adversus eos vel ecclesias eorum commotus fuerit aut causas habuerit, prius ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio commoniti ea sanent, quae sananda sunt, et caritative emendent, quae iuste emendanda agnoverint. Si autem aliqui eos, priusquam egerint haec, lacerare, accusare aut infestare praesumpserint, excommunicentur et minime absolvantur, antequam per satisfactionem, ut iam dictum est, condignam egerint poenitentiam, quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur. Nec hoc mirum, si quisque nostrum cuidam suorum legationem iniungeret, et a quoquam impediretur aut subditorum suorum

49 stabit] corrected to stat 74 eum] corrected from eam 76 in utroque] corrected from veraque, itself corrected from utroque 80 butirum] corrected to batirum qui²] added 81 iras] et follows, expunged 84 lacerarentur] corrected from lacerentur 85 si] added

despiceretur, mox indignatus irascetur, aut talia, prout potuerit, vindicaret et ad
 95 iniuriam ac contumeliam sui hoc factum reputaret et talionem, si in praesenti non
 posset, futuris temporibus redderet.

QUID SIT TALIO

Nam, si in hominum causa haec fiunt, quid putatis, deus faciet de suis, qui nec
 100 capillum capitis eorum perire dixerit? Unde et dominus per Naum prophetam
 loquitur dicens: Deus aemulator et ulciscens dominus, ulciscens dominus et
 habens furorem, ulciscens dominus in hostes suos et irascens ipse inimicis suis.
 Ante faciem indignationis eius, quis stabit? Et quis resistet in ira furoris eius? 22v
 Indignatio eius effusa est sicut ignis, et petrae dissolutae sunt ab eo. Bonus est
 dominus et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in se, et reliqua.
 105 Quaedam autem ex his iam aliis fratribus scripsimus, quae totiens sunt
 replicanda, quotiens fuerint necessaria.

Eiectionem quoque, ut supra memoratum est, summorum sacerdotum sibi 7
 dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritalibus
 populis concessisset. Electionem enim illorum taliter apostolus fieri iubet: Si quis
 110 sine crimine est, unius uxoris virum, filios habentem fideles, non in accusatione
 luxuriae, aut non subditos, et reliqua. Si enim sine crimine sacerdos eligi
 praecipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitis accusari aut calumniari
 permittitur, nec ab aliis quam ab his, qui sine crimine sunt, et iusta electione, si
 115 necessitas fuerit, aut ipsi volendo domino servire elegerint sacerdotesque sine
 crimine fieri et ordinari possint, et tales per omnia fuerint, quales eligi sacerdotes
 iubentur. Porro et Moysi praecipitur, ut eligat presbyteros, unde et in proverbiiis
 dicitur: Gloria senum canicies. Haec vero canicies sapientiam designat, de qua
 scriptum est: Canicies hominum prudentia est. Cumque nongentos et amplius
 120 annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius
 primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multo
 paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem,
 sed propter sapientiam presbyteri nominantur. Initium enim sacerdotii Aaron fuit,
 licet Melchisedech prior obtulerit sacrificium, et post hunc Abraham, Isaac et
 125 Iacob. Sed hi spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate ista fecerunt.
 Ceterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit primusque pontificali
 stola indutus victimas obtulit iubente domino ac loquente ad Moysen: Accipe,
 inquit, Aaron et filios eius, et applicabis ad ostium tabernaculi testimonii.
 Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est,
 130 lineam et tunicam et superhumerales et rationale, quod constringes balteo, et pones
 tiaram in capite eius et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes
 super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur domino. Filios quoque illius
 applicabis et indues tunicis lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet et liberos eius,
 et impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua. Quo loco
 135 contemplari oportet Aaron summum sacerdotem, id est episcopum, fuisse, porro
 filios eius presbyterorum demonstrasse figuram. Hic enim fuit inter Aaron
 summum sacerdotem et filios eius, qui sacerdotes erant, quod Aaron super
 tunicam accipiebat poderem, stolam sanctam et coronam auream, mitram et
 zonam auream et superhumerales et reliqua, quae praefixa sunt. Filii autem Aaron
 140 super tunicas lineas cincti tantummodo et tiarati assistebant sacrificio domini. In
 novo autem testamento post Christum dominum nostrum a Petro sacerdotalis

coepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est dicente domino ad eum: Tu es, inquit, Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum. Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit a domino, primusque ad fidem populum gratia dei virtute suae praedicationis adduxit. Ceteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt ipsumque principem eorum esse voluerunt. Qui etiam iubente domino in toto orbe dispersi evangelium praedicaverunt. Ispis quoque decedentibus in loco eorum successerunt episcopi, quorum ordinatio praetaxato fieri debet ordine et modo, quos, qui recipit et verba eorum, deum recipit. Qui autem eos spernit, eum, a quo missi sunt, et cuius funguntur legatione, spernit et ipse indubitanter spernetur a domino.

8 Videntes autem ipsi apostoli messem esse multam et operarios paucos, rogaverunt dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam. Unde electi ab eis sunt septuaginta discipuli, quorum typum gerunt presbyteri atque in eorum loco sunt constituti in ecclesia, de quorum ordinatione et reliquorum ministrorum supra dixisse sufficiat. Porro quod episcopus non ab uno, sed a cunctis consensu aut praescientia comprovincialium est ordinandus, et nullatenus minus quam a tribus ceteris consentientibus cunctis, idcirco instituite domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem ecclesiae unius tyrannica auctoritas moliretur et regula vel fides confunderetur credentium.

DE EPISCOPIS PRIMATIBUS ET PATRIARCHIS EORUMQUE MINISTERIO

9 Provinciae autem multo ante Christi adventum tempore divisae sunt maxima ex parte et postea ab apostolis et beato Clemente praedecessore nostro ipsa divisio est renovata et in capite provinciarum, ubi dudum primates legis erant saeculi ac prima iudiciaria potestas, ad quos, qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel iniustitiis suis ipsosque appellabant, quotiens opus erat, sicut in lege eorum praeceptum erat. Ispis quoque in civitatibus vel locis nostri patriarchas vel primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinae et ecclesiasticae poni et esse iusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent eosque appellarent, et ipsi nomine primatum fruerentur et non alii. Reliqui vero metropolitanae civitates, quae minores iudices habebant, licet maiores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui praedictis iuste oboedirent primatibus, sicut et in legibus saeculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum aut archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet singulae metropoles civitates suas provincias habeant, et suos metropolitanos iudices habere debeant episcopos, sicut prius metropolitanos iudices habebant saeculares, primates tamen, ut praefixum est, et tunc et nunc habere iussae sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem, quibus necesse fuerit, releventur et iuste restituantur, et hi, qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur atque fulciantur, episcoporumque causae et summarum negotiorum iudicia salva apostolicae sedis auctoritate iustissime terminentur.

143 meam] *added* 149 praetaxato] *corrected from* praetextato 166 legis] *corrected from* leges 169 confugiebant] *corrected from* confugebant 172 leges] *corrected from* legis 174 primatum] *corrected from* primate 177 oboedirent] *corrected from* obidirent 180 habebant] *corrected from* habeant

Haec ab antiquis, haec ab apostolis, haec a sanctis patribus accepimus, 10
 vobisque, ut postulastis, rimanda et futuris tenenda temporibus mittimus, et
 reliquis fratribus praedicanda ac cunctis fidelibus tradenda mandamus, ne
 190 pastorum imperitia, qui sequuntur, deteriores fiant dicente domino per
 prophetam: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, quos rursus dominus
 detestatur dicens: Et tenentes legem nescierunt me. Nesciri ergo veritas se ab eis
 conquaeritur et nescire se principatum nescientium protestatur, quia profecto hi,
 qui ea, quae sunt domini, nesciunt, a domino nesciuntur Paulo attestante, qui ait:
 Si quis ignorat, ignorabitur. Hinc et psalmista non optantis animo, sed
 195 prophetantis mysterio denuntiat dicens: Obscurentur oculi eorum, ne videant, et
 dorsum eorum semper incurva. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quoniam,
 cum lumen scientiae perdunt, qui praeunt, sine dubio ad portanda peccatorum
 onera inclinantur sequentes. Hic ergo inter manus latronum et dentes furentium
 luporum utcumque versamur. Ideo et docere alios et nos ipsos, prout dominus
 200 dederit, providere debemus. Sane percussor ille dicitur doctor, qui sermone inutili
 conscientiam percutit infirmorum. Ideo tenere vos et omnes fideles oportet eum,
 qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina
 sancta et contradicentes redarguere, et recte viventes atque rectam fidem tenentes
 consolidare.

205 Illis ergo, qui dicunt, quod filius in eo minor est, quia propheta inquit: Verbum
 faciet dominus brevium universo orbi, ita respondendum divinis est testimoniis:
 Verbum brevium, quod dominus faciet super terram non imminutionem deitatis
 in filio dei significat, sed dispensationem susceptae carnis annuntiat, in quali
 dispensatione non solum patre hominis filium, sed etiam angelis legimus
 210 minoratum Paulo apostolo attestante: Eum autem, inquit, modice minus quam
 angelis minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis gloria et honore
 coronatum. Et infra propter quam causam non confunditur fratres eos vocare
 dicens: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te. Et
 propheta inquit: Minorasti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti
 215 eum, et ut verbum dei patris brevium non esse in filio doceamus, hanc Isaiae
 prophetae volumine approbamus scientiam: Numquid abbreviatus factus est
 sermo meus aut parvus, ut non possim redimere? Aut non est in me virtus ad
 liberandum? dicit dominus omnipotens. Et iterum: Haec dicit dominus
 omnipotens: Numquid abbreviata est manus mea, ut salvare non possit? Aut non
 220 potest vivificare cor humilium et spiritum contritorum? Et ut brachium patris,
 quae manus est, filium esse doceret, intulit dicens: Paravit dominus brachium
 sanctum suum in oculis omnium gentium et videbunt omnes fines terrae salutare
 eius. Nam et novissimo tempore hic sensus non inaniter poterit coaptari, in quo
 tempore dominus pro redemptione nostra carnem suscipiendo advenit, ut et illum,
 225 qui habebat mortis imperium, sua morte destrueret, et eos, quos in tenebris et
 umbra mortis captivos subegerat, virtutis suae potentia in ipso parvo et exiguo
 temporis spacio liberaret. De hoc etiam exiguo tempore discipulos instruebat,
 dum eos in lucem, cum adhuc tempus haberent, incedere praemonebat: Pueri,
 inquit, novissima hora est, dum lucem habetis, ambulate in lucem, ne vos
 230 tenebrae compraeherent. Et in canonicis apostolorum legitur epistolis: Filioli,
 novissima hora est, quia multi pseudoprophetae exierunt in hunc mundum. Et

188 ac] corrected from a 196 Obscuratis] corrected from Obscuritatis 216 prophetae] corrected from
 prophetiae 216–217 factus ... sermo] over erasure 227 temporis] corrected from tempore

Paulus apostolus: Tempus enim breve est. Et iterum: Praeteriit enim figura huius mundi. Et iterum: Omnia haec ad correctionem nostram facta sunt, in quos fines saeculorum obvenerunt. Nam dominus in ipsa oratione dominica breviavit nobis sermonem, dum nos a multiloquio prohibens pauca docuerit, quae pertineant ad salutem. Cum oratis, inquit, nolite multum loqui. Et infra: Vos autem, cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in caelis, et cetera. Non enim propheta filium dei in hoc capitulo minoratum designavit in verbo, quoniam ipse in prophetis retro tempore loquebatur, qui etiam nunc per apostolos et apostolicos viros novissimo tempore loquitur: Ego, inquit, qui loquebar in servos meos prophetas, ecce adsum. Et alius propheta: Sicuti est ab initio usque in saeculum, neque adiectum est ei neque minuetur illi, quoniam ipse est dominus creaturae suae. Ecce quale verbum breviatum fecit dominus in orbem terrarum, non quia, ut illi putant, inferiorem patri intimaret hominibus filium, sed quia novissimum eius annuntiaret adventum.

- 12 Si ergo, ut praedictum est, Aaron filii presbyterorum figuram gestabant et Aaron summi sacerdotis, id est episcopi, Moyses indubitanter Christi tenebat formam, quoniam fuit similitudo mediatoris dei, qui est inter deum et hominem Iesus Christus, qui est verus dux populorum et verus princeps sacerdotum et dominus pontificum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.